



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Caput IX. De filio erga Patrem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Neque obstat paritas ducta ab Artifice divite: quia lex ieiunij absolute non obligat opifices laborantes: Unde non est mirum, quod eisdem non obliget, si divites sint, p. r. accidens enim est eos esse locupletes; at lex ieiunij obligat etiam per se coniuges: unde ij ob solam rationem coniugij, nisi alia addatur excusatio, dictam legem à se non possunt excutere.

9. Illud approbo, si adveniat coniux periculum incontinentie in alio, posse petere, etiam si, ut petat, opus sit ieiunium frangere, quia tum illud periculum aequivaleret petitioni, & petitio huius redditioni, & quam urget iniustitia ratio. Idem puto (non enim absumis est ratio) si, nisi petas, ingeras malam suspicionem in altero, quod adulteraveris; vel aliam adinvenias.

10. Liberatur si quando Vxor, si ex ieiunio reddatur ita extraordinarie pallida, macieque confecta, ut timor rationabilis sit, ne à viro minus rationabiliter ametur. Ita Sanch. d. 5. n. 24. praeceptum enim ieiunij quieto matrimonio statui, quem certo, sine debito amore, periclitari necesse est, obviare non debet.

11. Liberatur tertio si eadem uxor ita prohibeatur à viro ieiunare, ut si ieiunet, vix oriantur, & notabiles discordia. Ita Thom. Sanch. loc. cit. num. 13. alter. Sanch. l. c. num. 26. Fag. pr. 4. Eccl. l. 1. c. 9. n. 8. quamvis peccet vir, si id sine sufficienti causa faciat; uxor tamen si obediat, non delinquet, propter rationem num. precedent. dictam.

12. Liberatur quarto uxor Catholica si prohibeatur à viro haeretico ieiunare, itaque non in contemptum Ecclesiae, vel praecepti ieiunandi, sed ob alias causas puta ob incommodum parandi cibos Quadragesimales, ob dispensationem eos emendi, vel quid simile, Ita Azor. p. 1. l. 7. cap. 18. q. 7. Fag. l. c. n. 10. Trull. l. 3. in Dec. c. 2. dub. 7. n. 22. Ratio est, eadem, vel ferè eadem, ac modo dicta.

13. Liberatur quinto (ut id hac occasione dicam) puella nubere volens, si ex continuato ieiunio Quadragesimo (nam in ieiunio emo, & altero quod incidit infra annum, & vix locum habere potest. Speciositatem faciei notabiliter amitteret. Ita Thom. Sanch. l. c. n. 12. Ratio est, quia puella honestum matrimonium aucupanti notabile damnum infert speciei deperditio; Sed quod signum tanta iactura? Quando ita colorem deperderet, maciemque contraheret, ut ea visa, statim de dicta macie extra suum morem notaretur. Haecenus Tamburinus.

14. Vnum hic à Lectore efflagito, ut omnes conditiones, & limitationes hac in re à Tamburino dilucidè explicatas expendat, & ita, inde colligat, an ipse omnes ferè coniugatos eximat à ieiunio, & eos, quos eximit, an sine rationabili causa, & absque doctis, pilsque Authoibus immunes reddat. Expedit hic audire alium à Tamb. Is sit idem Pasqualigus, quandoquidem innumeros alios Doctores inducit Dec. 280. de ieiunio.

An coniuges excusentur, si non ieiunent, quando impediuntur, ne sibi invicem possent reddere debitum.

15. PASQUAL. Communiter affirmativè respondetur. Ita Caiet. Armill. Medin. Navar. Manuel. Ledesm. Valint. Angles Eliac. Sanch. Less. Molfes. Teler. Reginald. Fillius. Fagundes. Layman. Bassaus. Sylvius. Bonac. Graff. Ludou. Tabien. Villalob. & alij.

Hac sententia pro certa habenda est, quando tamen ieiunium impediatur, ne debitum possit reddi. Nam in hoc casu concurrunt duo praecepta, nempe praeceptum iniustitiae reddendi debitum, & praeceptum Ecclesiae de ieiunio. Tunc quia obligatio iniustitiae est strictior, & propter ius alterius praesertim obligationi virtutis, qualis est abstinentia. Tum quia Ecclesia non intendit obligare ad ieiunium, quando impediatur observantia aliorum praeceptorum, praesertim quae concernunt iniustitiam. Tum quia praeceptum reddendi debitum est naturale divinum, & ideo anteponendum

praecepto humano, quale est praeceptum ieiunij.

15. Et paulo post. Sed difficultas est, quanti coniuges censentur solutus ab obligatione ieiunandi, ut p. si reddere debitum.

Respondet, tunc esse solutum ab obligatione iniustitiae, quando non possit sine notabili debilitate reddere illud debitum, quod teneatur reddere ex iniustitia. Teneatur autem ex iniustitia reddere debitum huiusmodi, ut d. sumitur ex D. Th. in 4. dist. 32. quaest. unica à primo ad tertium, & cum pluribus notat Sanch. l. c. disp. 3. n. 5.

15. Et paulo post. Denique (ut notat Ledesm.) ex praedictis colligitur, quod uxor peccat, si se ita ieiunij ratione causa est, quia voluntarie ladii virum circa decorem sui corporis, quod ipse habet; Unde detererem facere rem alterius in ordine ad quem ipse habet ius, & ideo peccat contra iustitiam.

CAPVT IX.

De Filio erga Patrem.

1. BARON. VIII. Officium colendi Patrem redditur filijs, si probabiliter putent, matrem coniugij fidem non admodum sancte servasse, & se ex adulterio potuisse nasci.

2. In primis id non esset patris colendi officio desesse, tunc enim iam non ut suam patrem Caius v. g. illum v. g. Titium agnosceret, sed pro suo patre agnosceret adulterum. Quare tota difficultas in eo versari debet, quandonam Caius v. g. poterit suae matris Bertracium negligere, & alium tanquam suum patrem credere? quam difficultatem mox explicabo meos Tamburinus.

3. Deinde displicet hic maxime, quod Baronius imputet Tamburino, quasi dixerit, posse Caium negare Titio marito Bertracem reverentiam filij, ex eo, quod ipse Caius potuisset, ex adulterio nasci. Profecto tantam stultitiam fuisse à quolibet indoctissimo prolutam, si Baronius mihi iuraret, fidem ei habere non possem. Nam, sic, omnes quotquot homines sunt, fueruntque, & erunt in mundo, essent probabiliter spurijs, vel illegitimis, quia omnes partim potuerunt, partim poterant, & adulterio nasci. Sed iam video, quid vult dicere Baronius: vult enim iterum subintelligi illud (probabiliter) ita ut sensus sit si probabiliter putent, matrem fidem non servasse, & se probabiliter ex adulterio nasci, potuisse, &c. Verum, nec hoc mihi sedet: nam dictum locutio fuisset, de eere (si putet se probabiliter natum esse ex adulterio.) Ita quidem. At solenne e i calumniationibus, immiscere possibile cum actuali, & sepe putat, & pronuntiare, se v. g. offensum esse ab adversario, qui ab eo offendi potuisset.

4. Venio nunc ad elucidandam veram Tamburini doctrinam. Nobile stratagemata, in his sagillatioribus educendis, latet in Baronio: Loca enim, in quibus de argumento Tamburinus tractat, religiosè tacet, nimirum ne (ut suspicor) viso loco, mendacium larvam deponere cogatur. Cum autem difficile cuiquam sit, totum librum evolvere, ut Doctrina reprehensa inveniretur, constat, haeretque finimus impostura, id autem mihi nullum fecit negotium, siquidem ope cuiusdam amici in mei praeceptoris doctrina versatissimi, fructum invenio quiddam invenire oporteat. Facor nihilominus quoniam in loco de hoc puncto, quem p. r. manibus habemus, loquatur Tamburinus, fuisse difficultatibus explicari, quia ne umbra quidem eius, quod illi imputat Baronius in doctrina germana Authoris apparet. Locutus autem, ubi hac de re loquitur, contrarium dicere habens, hic est, nempe lib. 1. in Decal. cap. 3. 3. ver. legitimus, sed discernendum in alio loco mox afferendo num. 10. meo.

5. TAM.

Caput X. De Matrim. Filij inconf. Patre. 501

6. TAMB. Quando anceps (ait) es, utrum sit legitimus, an naturalis, cum certus sis, esse filium e. g. Bertæ, qualis eris reputandus? Dico, esse reputandum legitimum. Ita Delugo de Inst. tom. 1. d. 15. sect. 2. n. 25. Merol. l. Barb. Baldelli, Franc. Delugo alique quos citat, & sequitur Bardi d. de conf. c. 7. §. 1. quia culpa patris est dubia, poena illegitimitatis infligenda tibi filio esset certa. Ergo, si esses reputandus illegitimus, pro culpa incerta Patris daretur poena certa tibi filio. Adde, quemlibet esse damnandum, quanto minus potest, nam propter eandem rationem si dubitetur an aliquis sit spurius, id est ex coitu damnato, an naturalis, naturalis est reputandus. Ita Menoch. l. 1. præsumpt. 19. n. 28.

Hinc expositi in Hospitali possunt sine dispensatione ordinari, Beneficia accipere, ad Prælaturas ascendere, &c. Ita idem apud eundem Bardi quia cum nesciatur, an sint illegitimi, legitiimi reputantur.

Illud adverte, quoad effectum acquirendi hereditatem ab alio possessam, non posse hunc dubie illegitimum recurrere ad prædictam doctrinam. Ita Castrop. tom. 1. tr. 1. d. 3. p. 5. a. n. 3. Ratio est, quia ille alius est certus possessor, at dubius de facto præcedere certo possessori non debet. Hactenus Tamburinus.

6. Ex hac igitur doctrina clarè colligitur, quod si cuius filius Bertæ, quando anceps est, an sit legitimus, an naturalis, debet se pro legitimo habere, & consequenter matrem Bertæ, hoc est Titium, pro vero Patre cognoscere; ita si idem Caius est anceps, an sit spurius ex adulterio matris, debet se pro legitimo tenere, quia pari modo culpa matris dubia legitimitati filij nocere non debet, atque adeo negare ipsi non licet, Titium esse suum patrem, illumque reverentia debita non colere.

7. At dices, hic sumus in dubio, quid si probabiliter putaret Caius, se natum esse ex adulterio?

Respondet de hoc non agit Tamburinus, sed certè affirmo clarè ex ipsius principiis colligi, etiam tum debere suam legitimitatem illasam servare, seque Patri Titio, hoc est Bertæ marito observantem præferre. Ratio est (quia ut in superioribus vidimus) solennis Tamburini doctrina est, probabilitatem dirigentem actiones tunc adesse, quando contrarium non est certum, seu non est moraliter convincens. At in hoc eventu cum certum sit, Titium esse Bertæ matrem, certum item hoc matrimonium fuisse in facie Ecclesiæ celebratum; certum etiam Titium cohabitasse in eodem tecto, & lecto cum Bertæ; erit etiam moraliter certum, Caium esse Titij filium, & ita debere in utroque foro indicari, præsertim, quia delictum (matris) non præsumitur, nisi probetur, & consequenter quod is sit filius ex adulterio, non erit proximè probabile. Adde id, quod supra diximus ex Tamburino, quod hic, & alibi iterum, iterumque repetere non gravabor.

8. TAMB. Atque hac ratio (ait lib. 1. in Decal. c. 3. §. 3. num. 1. l. 1. l. 2.) allatam doctrinam probat (id est nos posse sequi opinionem proximè probabilem) etiam si altera pars sit probabilior; modo maior probabilitas alterius dictæ partis non sit tanta, ut deiciat à probabilitate illam oppositam, quia tunc, expulsa iam probabilitate, non est mirum, si inclinari ad assentiendum illi opposita nequeat intellectus.

9. Quoniam ergo Titius maritus Bertæ habet tantam probabilitatem de suo filio, (etiam si ad certitudinem moralem non pertingeret) deiciatur iam illa probabilitas, quæ apparet in Caio volente fortè negare, se esse legitimum, & patrem Titium non revereri. Quare Caij probabilitas, si qua esset de illegitimitate, vetè probabilitas non est, nec minima, nec tenuis, quia à finibus probabilitatis est expulsa. Vides Bardi, sanam, solidamque mei Præceptoris doctrinam? Alter locus, ubi discretissime docet, à prædicto Caio debere recognosci Titium matrem Bertæ, ut patrem, est in Tomo de Sacramentis c. de Irregul. c. 10. §. 2. his verbis.

Qua ratione dubitatio de illegitimo Natali removeatur.

TAMB. n. 1. Qui natus est (inquit) ex coniugata, presumitur legitimus, nisi contrarium clarè appareat, siquidem possidet tunc, esse filium ex matrimonio. Is enim in iure filius est, quem Nuptia demonstrant, l. quia Mater, ff. de in ius vocando. Et in dubiis (ut notat Menochius, Mascardus, Merolla) semper presumitur id, quod honestum est. Hæc ibi.

Si ergo Caius, donec contrarium clarè appareat legitimus se tenere debet, non poterit ex germana noliti Thomæ doctrina, quacunque probabilitate posita, Titium suæ matris matrem non revereri ut patrem.

CAPVT X.

De matrimonio Filij inconfulto Patre.

1. BARON. IX. Nulget etiam illis (Filij) ius inveniendi matrimonium cum dispari, Patre inconfulto & invito.

Quam aride id affers, ad excitandum odium? Verum lege, quam plenè & sapienter Tamburinus ratiocinetur ex S. Thomæ principiis. Tu vero, ut meum Thomam, fuggilles, nihil pensi habes deferere tuum S. Thomam, quamvis eius doctrinam sequi profitearis.

2. TAMB. Certum, exploratumque est (ait l. 5. in Decal. c. 2. §. 3. n. 2.) si filij inviti parentibus incant matrimonium cum dignis, & alioqui nullum sequatur incommodum, non peccare leiialiter, imò ne venialiter quidem, si prius modestè à parentibus facultatem petierint tamen; nequaquam exoraverint. Ratio potissima est, quia in electione status, & maxime matrimonij, filij nemini subdantur. Ita S. T. om. in 4. d. 29. quæst. unic. art. 4. Ita Sanchez, lib. 4. de matr. d. 22. n. 24. Ita ceteri.

Hinc regulariter non tenetur Filius implere sponsalia, quæ absque eius consensu Pater promissit, sic enim teneretur ad matrimonium. Agit de hac re dilucide Sanchez. ibid. d. 23. n. 3.

3. Fane etiam merito Tridentini m. l. 24. c. 9. de reformatione matrim. ipso facto excommunicant impedientes matrimonia; quæ excommunicatio licet solum sit contra eos, qui cum habeant iurisdictionem fori externi in subditos, eos à matrimoniis iniuste impediunt, ut clarè colligitur ex contextu Trid. quales sunt Episcopus, & Princeps secularis (excipitur Rex, & Imperator, quia hos oportet exprimi, excipitur item Parochus, quia fori externi iurisdictionem non habet in suis) tamen tam rigida prohibitio ostendit sensum Ecclesiæ nolentis, ut matrimonia impediantur. Et merito, cum independentè à lege positiva, ex se culpa mortalis est, impedire in re gravi ius alterius. At vero, ut diximus, in status electione quilibet sui iuris est, atque adeo nec à suis, nec ab alio, si peccatum mortale iis vitare velint, impediendus.

4. Dixi (iniuste) nam quando adest iusta causa, ut quia matrimonium est indignum, vel quid simile, non peccat Princeps, vel amicus modis suaribus absque vi, vel metu impediens; ut est concursus DD. sententia ipso lumine rationis comprobata. Lige Sanchez ibi d. 22. num. 7. Difficultas igitur sola superest, an cum indignis possint filij licite contrahere, patre, vel genitrice dissentientibus? Et quidem licet aliis videretur non posse, idque sub mortali, quod certe valde probabile est. Ita Sotus, Corduba, Navar. alligat Sanchez. l. de matr. d. 23. n. 9. quibus adde Bellarm. l. 1. de matr. c. 19. prop. 3. & in fine. Eadem tamen probabile item esse, ac tutum, quod possint. Ratio præcipua est modo dicta, filium scilicet omnino liberum esse, nec alicui subiecti in hac re. Addit S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. in corp. In iis, quæ ad propriè corporis sustentationem, prolesque generationem attinent, omnes homines esse pares, atque adeo, ne filios quidem in his duobus subiacere parentibus.